

sententia sua, ad eundem exitum veniant, verbis eos, non re dissidere. Omninoque quum haec sit distinctio, ut quibusdam in rebus vere dici possit, quum hae causae antegressae sint, non esse in nostra potestate, quin illa eveniant, quorum causae fuerint; quibusdam autem in rebus, causis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut aliud aliter eveniat: hanc distinctionem utrique approbant; sed alteri censent, quibus in rebus quum causae antecesserint, ita, ut non sit in nostra potestate, ut aliter illa eveniant, illas fato fieri: quae autem in nostra potestate sint, ab his fatum abesse.

Div. I. 55. — Fieri omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Graeci εἰμαρμένην, id est, ordinem seriemque causarum, quum causa causae nexa rem ex se signat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna. Quod quum ita sit, nihil est factum, quod non futurum fuerit: eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas id ipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, ut fatum sit non id, quod superstitione, sed id, quod physice dicitur, causa aeterna rerum, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et, quae instant, fiant, et quae sequuntur, futura sint. Ita fit, ut observatione notari possit, quae res quamque causam plerumque consequatur, etiamsi non semper. Nam id quidem affirmare difficile est.

De nat. Deor. I. 1, 2. Quum multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sunt, tum perdifficilis, Brute (quod tu minime ignoras), et perobscura quaestio est de natura deorum: quae et ad agnitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variae sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiae, ut magno argumento esse debeat, causam esse inscientiam, prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse. Quid est enim temeritate turpius? aut quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate